



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XIV. Tractatur tertia opinio, quæ partim à præcedentibus recedit, partim
eum vtraque convenit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

licam sententiam probè intellectam, postea videbimus: nunc solum addimus hos impugnatores non respondere ad difficultatem propositam de generali lege dandi auxilium sufficiens omnibus adultis: nam si illam omnino de medio tollunt, evertunt axioma certissimum, per Deum non stare quominus omnes homines saluentur, & omnibus adultis dare auxilium sufficiens, quantum in se est. quod adeò videtur fundatum in Scriptura, Patribus, Redemptione Christi, & misericordia Dei, ut negari non posse videatur, vel si illam legem non omnino negant, oportet ut nobis declarent, an illa lex fuerit cum promissione omnino absoluta, & nullam conditionem includens, vel cum aliqua limitatione, & conditione fuerit.

Nam si primum dicant, coguntur etiam dicere talem legem & promissionem habere effectum in omnibus, quod incredibile est, & ipsi in suis argumentis contrarium supponunt, nimirum Deum sua voluntate multis non dare talia auxilia, etiam si sint in omnibus naturalibus conditionibus siue naturalibus, siue liberis aequales, & hanc dicunt esse admirationem Augustini, quæ secundum Prosperum ex vlu liberi arbitrii solui non potest, & exemplo parvulorum id confirmant, putantque eandem esse rationem de adultis, quæ omnia sunt contraria illi legi pro adultis late cū absoluta promissione. Si vero lex illa conditionem includit, cur legem ipsam absolute & sine vlla distinctione impugnant? Cur item conditionem illam nobis non declarant? vel si declarare eam possunt, cur non in eodem sensu Catholicos Doctores interpretantur? Denique admissa illa lege sub aliqua conditione, necessarium est ut talis conditio à libero arbitrio naturali pendeat, quia nec potest esse necessaria, vel impossibilis, alias esset impertinens, nec potest gratiam supponere, cum ad primam gratiam dandam requiratur. quod si hoc modo conditionem ponant, omnia eorum argumenta corrumpunt, ut facile consideranti patebit & in discursu sequentium capitulum nos explicabimus.

C A P I T U L U M XIV.

Tractatur tertia opinio, quæ partim à precedentibus recedit, partim cum utraque convenit.

i. Inter duas precedentes opiniones tertia veluti media hoc tempore introduci cepit, quæ affirmat cum prima, seruanti legem naturalem infallibiliter dari à Deo auxilium supernaturale sufficiens ad fidem & iustitiam supernaturalem & admittit id fieri ex aliquo merito boni vsus libertatis in obseruatione legis naturalis fieri sine aliqua gratia ordinis naturalis, quam in vocatione congrua naturali constituunt, eamque putant sufficere, ut gratia fidei, siue auxilij supernaturalis ad fidem sit vera gratia, quia licet propter aliquod meritum detur, hoc procedit ab aliqua gratia priori, propter Christum data, & ita est gratia pro gratia. Et propter hoc putat hæc opinio satis discrepare à sententia Semipelagianorum, & soluere argumenta precedentis opinionis in capite superiori posita.

2. Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia necessarium est fateri, Deum dare omnibus hominibus adultis sufficiens auxilium ad salutem, cum sine fide nemo saluari possit. At verò hoc auxilium supernaturale ad credendum in re ipsa & Fr. Suarez de Gratia Pars II.

actu, (vel sic dicam) non omnibus datur, non enim ad omnes peruenit fidei prædicatio, vel vocatio, ut supponitur tamquam manifestum: ergo necesse est, ut detur, saltem in præparatione voluntatis Dei, seu quantum est ex parte ipsius: ergo ex parte eorum, quibus non datur in re ipsa aliquid, desideratur, propter cuius defectum non datur: ergo illud nihil esse potest, nisi obseruatio legis naturalis, seu bonum aliquod morale naturalis, quid enim aliud ante gratiam fidei in homine dari, vel cogitari potest, quod vel per se conferre, vel cuius defectus obstat possit vocationi fidei? Quidquid enim aliud cogitur siue bonum ingenium, siue bona indoles, siue humana potentia, vel nobilitas, aut aliquid huiusmodi ad vocationem fidei, quæ animi probitatem & sanctitatem respicit, impertinens est, ut optime discurret Augustinus dicta q. 2. ad Simplicianum circa finem. Sola ergo obseruantia legis naturalis desiderari potest in homine nondum vocato, ut vocetur ad fidem. Ergo simpliciter verum est seruanti legem naturalem Deum non denegare superius auxilium ad supernaturalem seruandum, quæ inchoari debet per vocationem ad fidem.

At verò naturalis lex seruari non potest per vires liberi arbitrii: ergo ut illa conditio impleatur, lex naturalis an & ut ad seruandam legem naturalem: ergo optimè potest talem obseruationem tamquam propter aliquale meritum dari vocatio ad fidem sine iniuria gratiæ, quia iam gratia præcedit, & ratione prioris seminis diuini totum refertur in authorem prioris gratiæ, & sic receditur à reliquis Pelagij, & omnia rectè conciliantur. Prima propositio subsumpta probatur ab authoribus huius opinionis ex illo principio, quod nullum opus bonum morale potest fieri sine gratia saltem congruæ cogitationis, de quo in lib. 2. copiosè diximus. Simpliciter verò probari potest, quia saltem ad seruandam totam legem naturalem non sufficiunt vires liberi arbitrii, sed necessaria est gratia Dei, ut ibidem ostendimus: ut autem homo seruet legem naturæ sicut oportet, ad obtinendam vocationem ad fidem, non satis est vnum, vel aliud bonum opus legis naturalis facere, sed necesse est totam legem seruare, nam qui in vno offendit, est omnium reus, & vnum peccatum mortale sufficit ad obstruendum ostium supernaturalis gratiæ Dei: ergo necesse est ut ante vocationem ad fidem supponatur alia gratia, quæ licet sit inferioris ordinis, det sufficientiam & potestatem ad seruandam totam legem naturalem, alias conditio impossibilis postularetur ab homine ad recipiendum auxilium proximè sufficiens ad fidem, sic enim lex & conditio esset inutilis. Et ita probata est prima consequentia. Secunda verò inde facile patet, quia opus factum ex gratia est aliquo modo meritorium subsequenti gratiæ. Potest ergo vocatio ad fidem cadere sub tale merito, sine iniuria gratiæ, & sine cogitatione Semipelagiani erroris, qui fidei initium soli libero arbitrio, sine vlla gratia tribuebat.

Hæc sententia quatenus ait, seruanti legem naturalem dari vocationem supernaturalem ad fidem, cum prima coincidit, & de illis iudicium feremus in cap. sequenti; quatenus verò difficultati respondet ex sola gratia præueniente cogitationis congruæ naturalis, & solum propter istum modum loquendi à Semipelagianis se satis discrepare putat, nobis difficillima visa est semper, ut lib. 2. dixi, nec nunc aliter de illa sentire possumus. Prius autem cedens modo, quia cogitatio congrua antecedens vocationem ad fidem non habet rationem gratiæ, nisi ratione congruitatis, quia in reliquis naturalis est, etiam iuxta illam sententiam, neque etiam in illo genere

Cōsequētia prima. Altera consequentia.

Cogitatio antecedens vocationem ad fidem non habet rationem gratiæ.

genere est auxilium sufficiens, sed efficax, non enim dicitur congrua, nisi quando effectum consequitur: ergo qui cogitationem illam congruam non recipiunt, non habent ullam gratiam praeuiam, nec auxilium sufficiens, quo possint legem naturalem seruare, & se disponere ut vocationem ad fidem recipiant. Ergo illis simpliciter non datur nec offertur auxilium sufficiens ad salutem. Responderi potest, etiam cogitationem honestam naturalem, quae futura non est congrua, esse gratiam & auxilium sufficiens ad legem naturae seruandam; sed contra, quia talis cogitatio est debita non solum speciei, sed etiam cuiusque indiuiduo: imo & necessaria, ut proxima libertas bene, vel male operandi compleatur; ergo non est auxilium gratiae, sed ipsius naturae.

Dicunt hoc esse verum de minima cogitatione sufficiens, non verò de quacunque maiori minima, nam illa non est debita & consequenter est gratia: sed hoc etiam gratis excogitatum est, nam quod sit intensior, vel nimis intensa cogitatio, non provenit ex providentia extraordinaria, regulariter loquendo, sed ex communi cursu & actione causarum occurrentium, & interdum ex libera appellatione voluntatis, supposita prima excitatione qualicumque ab externo obiecto. Sed quidquid in hoc sit, aut eveniat, sumamus hominem, qui solum habuit minimam cogitationem honestam sufficientem, si enim est possibilis casus, non est cur in tanta hominum, & occasionum varietate negetur. Nec video unde probari posset, ita disposuisse Deum res omnes & causas universas, ut ab eis omnes homines adulti intensius, vel efficacius ad cogitationes honestas mouerentur, quam simpliciter necessarium sit, & sufficiat ad bonum opus morale. Posito ergo casu, quod aliquis hominum tantum excitetur minima cogitatione ad seruandam legem naturalem, iam ille homo nullam habet gratiam praeuenientem, seu excitantem ordinis naturalis, & consequenter nec supernaturalis: interrogo ergo de illo, an possit facere, quod in se est, ut vocetur ad fidem, vel non possit? Si non potest, ergo nullo modo habet auxilium sufficiens ad salutem: si autem potest, ergo sine praeuia gratia potest se preparare ad vocationem, seu inspirationem fidei, & illam mereri, quod concedi non potest, etiam si dicatur nunquam esse talem hominem usurum tali potestate, hoc enim est per accidens, non ex defectu virium, sed quia ita supponitur à Deo praescitum in tali homine, quod accidentarium est, & posset oppositum contingere, ut statim dicam.

Secunda ratio principalis contra illam sententiam est, quia, ut dixi, cogitatio congrua non censetur habere rationem gratiae propter vires, quas ad operandum praebet, sed propter solam congruitatem, nam aliqui merè naturalis est, & per ordinarias causas naturales provenit: congruitas autem non consistit in virtute agendi, sed solum in hoc quod secundum Dei praescientiam effectus infallibiliter futurus sit ex tali cogitatione: unde authores eiusdem sententiae fatentur congruitatem inducere operationis necessitatem consequentem, non antecedentem; ergo cogitatio congrua non est gratia, quae det proprium auxilium & vires operandi, licet sit quoddam beneficium gratuitum, quoad congruitatem: ergo, in rigore loquendo homo meretur primam supernaturalem gratiam, seu vocationem ad fidem, per vires naturales, non per vires gratiae. Consequens autem non videtur villo modo concedendum, quia tunc re vera talis vocatio ad fidem esset ex operibus, & consequenter non esset gratia, iuxta Paulum Rom. 11. Prior sequela patet, quia illud meritum procedit ex cogitatio-

ne congrua, sed cogitatio congrua, ut est gratia non dat vires operandi: ergo illud meritum non procedit ex viribus gratiae; ergo procedit ex viribus naturae, & in illis fundatur. Posterior illatio probatur, quia illa dicuntur proprie opera iuxta mentem Pauli, quae sunt ex viribus naturae, & non ex viribus gratiae: sed tale est illud meritum; ergo gratia quae datur ex tali merito, est ex operibus, & consequenter non est gratia. Nec satis esse potest quod ibi praecedat beneficium quasi extrinsecum Dei preparandi illas naturales vires, seu illam cogitationem tempore congruo, quia hoc non tollit, quin in re ipsa opus fiat propriis naturae viribus, & ut tale est fundamentum, quia meritum non fundatur per se, & substantialiter, (ut sic dicam,) in beneficio extrinseco Dei preparantis occasionem opportunam operandi, sed in bonitate operis proportionata viribus, quibus efficitur.

Dicitur fortasse cogitationem congruam tamen si naturalem, etiam dare vires operandi gratitatis, seu, ut est gratia, sed etiam, quia datur maior seu intensior, & in se aprior ad mouendam voluntatem, quam esset necessaria, iuxta illam doctrinam relaxatam in praecedenti ratione, quod omnis cogitatio maior minima sufficiens est gratia. Sed huic euasioni duo maxime obstant, vnum est, quia inde obstat sequitur illam gratiam propter dat vires operandi, non esse necessariam ad posse, sed ad facilius posse mereri gratiam apud Deum, quod etiam non conceditur, quia non minus sapit Pelagianum errorem. Sequela probatur, quia illa cogitatio dicitur esse gratia dans vires operandi, quia est maior, quam sit necessaria: ergo minor est sufficiens; ergo minor dat posse; ergo altera maior non dat posse, sed tantum facilius posse ratione illius excessus. Item eo ipso, quod talis excessus, seu talis intentio maior dicitur esse non necessaria, aperte concluditur solum esse vtilem, ac subinde non dare posse, sed facilius posse. Aliud est, quia voluntarie supponitur cogitationem congruam semper esse maiorem, vel meliorem, quam necessaria sit, nam si minor est sufficiens, contingere etiam potest ut sit congrua; nam excitatio sufficiens dat simpliciter posse se: qui autem verè & simpliciter potest, contingens est, ut interdum operetur, cur ergo non potuit prauidere Deus aliquem consensurum fuisse cum minori, vel minima cogitatione sufficiente: ergo hoc posito, quod proculdubio est contingens, minor cogitatio erit congrua; ergo non est de ratione cogitationis congruae, ut sit maior, quam necessaria sit, vel sufficiat ad consensum: gratis ergo supponitur quod semper sit maior.

Vnde oritur ratio alia meo iudicio efficacior ad hominem; nam iuxta discursum factum, aperte sequitur, cogitationem minimam sufficientem ad honestum consensum posse etiam esse congruam, & id esse merè contingens. Ponamus ergo aliquando id esse futurum, & esse praesumtum à Deo. Tunc ergo facienti quod in se est, per talem cogitationem naturalem Deus dabit vocationem fidei ex merito talis actionis: ergo ex operibus, & nullo modo ex gratia. Probat hanc ultimam consequentiam, quia illa cogitatio ut honesta, nec ut talis, vel tanta est gratia ut idem author concedit, quia est debita naturae liberae, nec etiam ut congrua, quia illa congruitas est consequens ex futura cooperatione liberi arbitrij, & Deus non poterat impedire illam secundum bonitatem suam; nec etiam poterat cogitationem illam negare secundum suam naturalem iustitiam, quia est debita tali naturae. Ergo nulla ratio gratiae ibi intercedit; ergo tale meritum esse potest, & in eo casu esset ex pura natura.

Tertia

Tertia principalis ratio contra illam sententiam est, quia admittit meritum initij fidei in nobis, quod nullo modo admittendum videtur, siue dicatur fundatum in natura, siue in gratia quaedam ordinis naturalis, siue dicatur esse meritum de condigno, siue de congruo, siue perfectum, siue imperfectum, ergo. Maior videtur planè concedi, vel supponi in illa sententia, dicit enim eum, qui proximè non est vocatus ad fidem, vocari vel interius, vel etiam exterius ex merito obsequandi legem naturalem cum sola congrua cogitatione. Vocatio autem proxima ad fidem est initium fidei, vt ex Concil. Trident. & Arausicano in lib. 2. latè probauit. Nec dici potest quod cogitatio congrua naturalis est faciendam elemosynam, vel ad aliquo modo naturali verum Deum vt autorem naturæ colendum, sit vocatio ad fidem, vel initium fidei, quia initium fidei est aliquid per se pertinet ac necessarium ad ipsam fidem, quælibet autem alia cogitatio alterius moralis obiecti, seu operationis est valde extrinseca, & per accidens ad fidem. Vnde Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 2. ad summum reducit initium fidei ad cogitationem credendorum, *nam credere (inquit) est cum assertionem cogitare, quam nullus aut credere, aut velle credere potest, nisi prius cogitet esse credendum: potest autem cogitare de credendo, & non credere.* Ante illam autem cogitationem alud initium fidei non posse cadere sub merito, quia illa cogitatio non potest sub meritum cadere. Vnde etiam facile probatur altera propositio in argumento subsumpta, tale scilicet meritum non esse admittendum, quia planè repugnat Augustino, & non consonat Concilio Tridentino cap. 5. sess. 6. dicenti, *exordium salutis sumi a vocatione, quam multis præexistentijs meritis excitatur, &c. de qua gratia subdicat. 7. fidem ex auditu concipientes, &c. & hoc ipsum multis testimonijs & rationibus in lib. 2. probauimus, & aliqua in sequenti capite addemus.* Propter hæc ergo non videtur per illum dicendi modum conuenienter fieri satis difficultati propositæ, nec sufficienter vitari Semipelagianorum doctrinam, præsertim cum illi non negarent cogitationem honestam naturalem, nec congruitatem eius, & cum illa non transcendat rationem naturæ doctrinæ, magisque dici possit doctrina opportuna, quam gratia congrua, quæ omnia in lib. 2. latius prosequutus sum. Et ideo de hac sententia in præfati hæc sufficiunt: quæ ad perfectam excommunicationem illius axiomatis, *faciens quod in se, necessaria visa fuerunt.*

C A P I T U L U M XV.

Proposita difficultati satisfi, & Axioma propositum in vero, & catholico sensu explicatur.

Visis aliorum opinionibus, superest vt nonnullis assertionibus nostram declarem, & iuxta illam difficultati propositæ satisficiamus. Primò ergo dicimus negari non posse, quin Deus certa lege ac voluntate decreuerit dare omnibus hominibus lapsi propter Christum sufficiens auxilium, quo possint credere & filij Dei fieri, & non peccare, sed legem diuinam seruare. Hæc assertio satis probatur ex dictis cap. 15. vbi ostendimus ita fieri, & hoc certum, & infallibile sine personarum distinctione, ergo fundatur in lege Dei, vel firma

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

voluntate, quantum est ex parte eius, quia non potest aliud habere certitudinem, & infallibilitatem. Quod autem hæc lex propter merita Christi statuta sit, manifestum est, quia totum hoc gratiæ auxilium sufficiens pertinet ad gratiam redemptionis, ergo propter Christum datur, & ideo gratia Dei, gratia Christi in Scriptura & Concilijs appellatur: ex quibus hæc assertio & lex non obscure colligitur. Hinc ergo rectè dicitur, legem hanc fuisse quasi pactum quoddam inter Christum Deum hominem & æternum Patrem.

Nam Christus ex præscripto eiusdem Patris omnia sua merita obtulit ab initio Incarnationis suæ, pro salute omnium hominū, ergo vt omnibus darentur auxilia sufficientia ad illam consequendam, ideo enim est vniversalis Redemptor omnium, quoad sufficientiam: ergo Pater acceptando meritum, promittit Christo dare hominibus tale auxilium. Quod etiam potest antecederet explicari: nam Deus Pater Christo promittit dare omnibus hominibus remissionem peccatorum, & veram iustitiam, quantum in se erat, si ipse pro eis satisfaceret, & iustitiam mereretur. At Christus & acceptauit constitutionē, & impleuit, & inde firmata est lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, quæ in adultis debent esse auxilia actualia, & in infirmis, epta, vel in eorum manu, & potestate aliquo modo posita, vt supra probatum est, & ideo ibidem diximus, quod licet considerato humanæ naturæ lapsu ante hoc pactum cum Christo, & sine illo potuisse Deus sine vlla infidelitate & iniustitia, non dare, nec offerre hominibus auxilium sufficiens ad salutem, quia peccatum naturæ erat tota illa poena dignum, & ante præordinata & præuisa merita Christi, Deus nulli tale auxilium debebat, aut promiserat, nihilominus stante merito Christi, & generali lege cum illo stabilita, non potest Deus ex se negare alicui adulto tale auxilium aliquo modo sufficiens, alias & esset infidelis in suis promissis, & iniustus, non quidem respectu peccatoris, qui dum talis est, nullum habet ius in se acquisitum, (vt sic dicam,) sed respectu Christi, cuius est proprium tale ius, propter quod semper tale auxilium in principio est merè gratuitum respectu eius, cui datur, licet respectu Christi præmium meritorium sit.

Dico secundo. Hæc lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, quo ad auxilia supernaturalia, seu proximam vocationem ad fidem per sufficientem eius propositionem externam, vel internam actu dandam omnibus & singulis viatoribus adultis, non fuit absoluta, includens scilicet absolutam promissionem, sed sub aliqua conditione. Hæc assertio communiter recepta est, præsertim ab auctoribus primæ & tertiæ sententiæ, & alios quos infra referam. Et per experientiam videtur euidens, quia quod Deus non omnibus confert, certè non omnibus absolute promittit, est enim fidelis & verax, & se ipsum negare non potest: at verò experimento constat Deum non omnibus infidelibus dare in effectu proximè vocationem ad fidem, quia ad multos externa prædicatio non peruenit, & interna reuelationis nullum est indicium, nec affirmari potest sine fundamento, quia, teste Paulo, ordinaria lex est, vt homines per externam prædicationem ad fidem vocentur: ideo enim interrogat ad Roman. 10. *Quomodo audient sine predicante,* & Act. 14. & Roman. 1. Cum vult ostendere Deum non omnino deseruisse Gentiles, nec reliquisse sine aliquo auxilio, non dicit interius se illis reuelasse, sed per visibilia opera se illis manifestasse, & per generalia beneficia homines ad se attraxisse, & eodem modo loquuntur Patres ita referendi. Confirmatur, quia multi sunt infideles,

Lex quasi pactum quod datur inter Deum hominem & æternum Patrem.

Lex dandi omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem, haud est absoluta.

Deus non omnibus in fidelibus dat in effectu vocationem ad fidem.

Rom. 10. Act. 14. Rom. 1.